Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

ANEVRYSMATE

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. GVILIELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE WESTPHALIAE ET RELIQVA

AVCTORITATE ET CONSENSV GRATIOSISSIMAE FACVLTATIS MEDICAE IN ALMA SALANA

PRAESIDE

SIMONE PAVLO HILSCHERO

MEDICINAE DOCTORE ET PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO

PROMOTORE ET PATRONO SVO COLENDISSIMO

PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES INSIGNIA ET PRIVILEGIA DOCTORALIA MORE MAIORVM RITE CONSEQVENDI

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI

SVBMITTIT

AVCTOR ET RESPONDENS

IOAN. FRIDER. FREDERSDORFFIVS

ZWENCKAVIA - MISNICVS

IN AVDITORIO MEDICO

AD D. AVGVSTI M DCC XXVIII.

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS.

IENAE EX OFFICINA MVLLERIANA.

DISSERTATIO INAVGVLALIS

DE

ANEVRYSMATE.

§. I.

ANeuryſma a vocibus graecis ἀνὰ, quae in compoſitione valet ruſ-ſum, & εὐρύνειν, dilatare, derivari, atque vi ſuae originis dilatationem ſucceſſiue factam innuere, linguae Graecanicae peritis ſatis conſtat. Ex hac vero etymologia ſimul patet, quod hocce nomen latine per y, non vero per i ſimplex, cum quibusdam, ſcribi debeat. Porro etiam concidit eorum peſſima opinio, qui hanc vocem ἀπὸ τοῦ νεύρου, a nervo, dictam putant, & per eneruationem latine vertuut.

§. II.

In medico vero foro aneuryſma apud recentio-

res paulo autores ſolenni atque ſtricto uſu ad arterias ſolum applicata legitur, & dilatationem arteriae, cum plenitudine & tumore tamen coniunctam, ſignificat; ſicut κίρσος, latine varix, eundem ſtatum in venis patefacit, circa quas tamen criſpaturae magis obſeruari ſolent. Hoc loco tamen notandum eſt, quod κίρσος apud veteres aliquando aneuryſma quoque innuerit, ſicut hoc colligi poteſt ex HIPPOCRATIS *lib. I. de morbis c. 10. text. 59. ſeqq. Si vero,* inquit, *vena omnino quidem rupta non fuerit, verum acutus tractus in ipſa fiat, fit autem maxime velut varix,* οἷον κιρσός. Graeci enim & Latini veteres autores per vocem venae omne vas ſanguiferum intelligunt, ſeu vena ſit, ſeu arteria. Ideo GALENVS, vel qui alius eſt autor definitionum medicarum, cum SEVERINO, aneuryſma tam venis quam arteriis competere contendit, quando ſcribit: Ἀνεύρυσμα ἐστὶ φλεβώδους ἀγγείου ἀνευρυσμὸς, ἢ πνευματικῆς ὕλης παρασπορὰ, ὑπὸ τῆς σαρκὸς, κατὰ διαπήδησιν ἀναδιδομένης. *Aneuryſma venoſi vaſculi relaxatio eſt, aut diſperſio ſpiritualis materiae ſub carne, per diſſultationem ſeſe diffundentis, diſtribuentisque.* Aſt juxta hodiernum loquendi uſum tam apud medicos, quam chirurgos, aneuryſma tantum de certis arteriarum, varix vero de venarum laeſionibus, proprie vſurpari ſolet.

§. III.

Commode igitur aneuryſma definitur, quod ſit tumor praeternaturalis, isque definitus, in arteria aliqua, vel juxta eandem, utplurimum mollis, pulſans, cutique quoad colorem ſimilis, vel a collectio-

ne

ne ſanguinis, velut in ſinu, intra tunicas illius, vel ab effuſione ipſius intra partes incumbentes, ortus. Germanis audit vulgo eine Pulßader-Geſchwulſt.

§. IV.

Circa adſignandum *tumoris* genus aneuryſmati, vnanimi fere autores inter ſe conſpirant conſenſu, & ſic affectum noſtrum ad morbos malae conformationis quoad magnitudinem auctam recte referunt. Sive enim arteriae adhuc integrae, & ſaltem a ſanguine, in certo loco congeſto, dilatatae, ſiue ita inciſae aut ruptae fuerint, ut ſanguis ex iisdem integumenta communia penetrauerit, & ſub iisdem conclúſus haereat, aliter euenire non poteſt, quin tumor p. n. maxime in latum & profundum hoc loco protenſus, conſurgat.

§. V.

Hanc adſertionem, quod ſcilicet in omni aneuryſmate adſit tumor, ut rite intelligamus; ante omnia in medium afferre aequum eſt, quod aneuryſma recentioribus medicis e. gr. NVCKIO, SCHELHAMMERO, HEISTERO, & longe pluribus, aliud dicatur verum, aliud ſpurium. Iſtud, quod etiam clauſum vel caecum audit, ſimplicem arteriae tunicarum dilatationem tantum denotat, vt ea in certo loco ſacciformis reddatur. Ideo nomen Germanicum ein Pulßader-Kropff ad hanc aneuryſmatis ſpeciem proprie tantum quadrat. Hoc vero, ſiue ſpurium, aneuryſma dicitur tumor, qui non in arteria, ſed iuxta eandem haeret, coniunctus cum ſoluta continuitate manifeſta arteriae, ſanguinem vel inter partes muſculoſas,

ſas, vel integumenta communia dimittentis. Atque hic tumor ſaepe notabiliter durus, cum arteriae pulſu, aut obſcuro, aut aliquando plane deficiente, eſſe ſolet, ſicut hoc ipſum apud NVCKIVM *Operat. Chirurg. XXIX. p. 74.* aliosque autores, dilucide legi poteſt. Denique ipſa experientia nobis aſſentiente, aneuryſma tertii generis ſtatui poteſt & debet: nempe *anomalum*, ſeu *compoſitum* ex vero & ſpurio quaſi. Seu: aneuryſma anomalum nobis dicitur, quod quidem eatenus verum eſt, quatenus nulla manifeſta adeſt ſolutio integritatis tunicarum arteriae, ita, vt eaedem vel ruptae vel inciſae ſint penitus: ad naturam vero ſpurii ſimul accedit, quia in eadem tunicae arteriarum ita poroſae ac ſquamoſo-ſpongioſae redditae obſeruantur, vt ſerum acre ſanguinis ſubſiſtentis & coagulati poſſit ſenſim tranſudare, adeo quidem, vt ſucceſſiue oſſa vicina, e. g. coſtas, vel ſternum, plane corrumpat, & ita friabilia reddat, vt digitis facile in pultem confricari queant. De aneuryſmate tali anomalo duas admodum notabiles obſeruationes recenſet celeberrimus RVTSCHIVS *Obſeruat. Anatomico-Chirurgicarum XXXVII.* ſub rubrica: *Ab aneuryſmate arteriae aortae coſtarum caries. & XXXVIII.* ſub titulo: *Monſtroſum aneuryſma;* cum adiecta figura prioris aneuryſmatis admirandi.

§. VI.

Nihil vero ad naturam aneuryſmatis immutandam confert, ſiue tumor deſcriptus atque occaſione laeſae arteriae ortus, ſit comparate minor, vel maior, vel magnus, vel maximus; adeoque etiam aliud

aneury-

aneuryſma ſit minus, aliud maius, aliud magnum, aliud maximum. Nam, iuxta canonem philoſophicum notiſſimum, magis & minus non variat ſpeciem neque genus. Sic aneuryſmata, tum vera, tum ſpuria, ſaepe ab initio magnitudinem nucis auellanae vel juglandis exhibent, ſenſim vero ac ſenſim ita aliquando increſcunt, ut magnitudinem pugni, capitis infantilis, imo puluinaris, quo in ſedili vtimur, demptis quatuor angulis, exprimant, ſicut aſſertionis noſtrae veritas e ſupra laudati RVYSCHII *Obſeruationibus*, PVRMANNI *Chirurg. Curioſ.* p. 612, aliorumque autorum teſtimoniis patet.

§. VII.

Notabilis etiam diuiſio eſt aneuryſmatis in externum & internum. Iſtud in partibus externis, & frequentiſſime artubus, haeret, & viſui ac tactui patet. Hoc vero pro ſubiecto agnoſcit partes internas, & arterias, potiſſimum in cauitatibus thoracis & abdominis repentes, e. gr. aortam ipſam, arteriam pulmonalem, ſubclauiam, aliasque. Et licet aneuryſmata interna in viuentibus vtplurimum ſub ſpecie tumorum ſenſus externos ſubterfugiant: attamen poſt mortem in cadaueribus, ab Anatomicis tales ſemper deprehenſi fuere. In viventibus vero eorum praeſentia per ratiocinium prudens, a ſymptomatibus deſumtum, eruenda eſt.

§. VIII.

Praemiſſis potioribus aneuryſmatum differentiis ſigna eorum diagnoſtica iuxta has differentias nunc recenſenda ſunt, quo intimius in eorum cognitionem

nem feramur, & ſenſus definitionis, §. 3. traditae, perſpicuus fiat. Aneuryſma nempe verum atque externum ſe patefacit tumore ſeu colliculo, in loco latentis arteriae, ab initio minori, qui vero ſenſim increſcit. Tumor etiam hic eſt mollis, cedens, quamdiu paruus, fere ex toto, digito prementi; ob ſanguinem collectum ita in alueo ſuo propulſum; mox vero a contactu dimiſſo idem tumor repetit, & arteria fornicem protuberantem cum ſuperſtrata cute iterum exhibet: imo motus quidam fluctuans in tumore iſto, digitis pertentato, aliquando percipitur. Porro ordinarie in tali aneuryſmate pulſus, reliquae arteriae conformis, adeſt. Tum vero pulſatio in aneuryſmate nulla percipitur, quando ſanguis vel coagulatus, vel ipſius aneuryſmatis magnitudo nimia habetur. Hoc ipſum confirmamus experientia incomparabilis Anatomici & Chirurgi, RVYSCHII nempe laudati, qui *obſeruat.* XXXVIII. p. 51. ſcribit: *Non in omni aneuryſmate praeciſe ſentitur pulſatio, quantumuis authores eam tanquam pathognomonicum habeant ſignum. Hoc olim decepit chirurgum expertiſſimum - - - mihi dum viueret amicum familiarem, qui circa talum aneuryſma, nucis iuglandis magnitudine, neſcius tamen dictum tumorem aneuryſma eſſe, quia omnis pulſatio deerat. Aperto tumore & ſanguine coagulato expreſſo tanta ſuborta eſt haemorrhagia, vt vix eſſet ſiſtenda. In quibusdam aneuryſmatibus ingentiſſimis nullam quoque pulſationem percipi poſſe expertus ſum.* Eandem cautionem, circa dignotionem aneuryſmatis obſeruandam iam dudum ante Ruyſchium inculcauit celeberrimus Re-

gis

gis Galliarum olim chirurgus, PARAEVS, *lib. VI. c. 28.* circa finem his verbis; *Nam non nunquam in inſignibus aneuryſmatis nec pulſum vllum percipere licet, nec digitorum appreſſione ſanguinem in arteriam compellere.* Adeoque haec cautela ſemiotica maxime etiam ad aneuryſma ſpurium pertinet, & ad ipſum applicari debet. Quod colorem attinet, hic ſaepiſſime in aneuryſmate vero reliquae cuti ſolet eſſe ſimilis, cum ſanguis ob ſitum arteriarum profundiorem, & tunicarum earum craſſitiem non facile tranſparere queat. In maioribus vero & maximis aneuryſmatibus, tunicis arteriarum ipſaque cute admodum tenuatis, haec ſubliuere ſolet, propter ſanguinem ex parte coagulatum in ſinu haerentem. Ordinarie etiam in aneuryſmate vero, non aeque magno, nec ſanguinem acriorem vel congrumatum condente, dolor abeſſe ſolet.

§. IX.

Obſcuriora vero ſigna ſunt aneuryſmatis interni, cum idem nec viſu, & ſatis frequenter ne tactu quidem, explorare liceat. Frequenter tamen aneuryſmata interna patefacere ſolet pulſatio extraordinaria & vehemens in iſto loco, vbi latent, cui vtplurimum coniuncta ſunt cordis palpitatio & motus inordinatus, anxietas, virium debilitas, vigiliae & ſaepe ſtupor quidam partium vicinarum, ob compreſſionem neruorum ac arteriarum iſto decurrentium. In ſpecie aneuryſmata maiora in thorace, & in vaſis circa cor, vehementiſſima comitari ſolet pulſatio, & aliquando tanta, vt manum pectori admo-

tam percutere ſoleat cum palpitatione cordis, ſpirandi difficultate, & dolore ſaepiſſime ſocio, hinc inde in thorace ſe exerente & ad ſcapulas vel cubitum vsque exporrecto. Aliquando vero nulla fere, ſeu admodum incerta tantum, aneuryſmatis interni, in primis minoris, emicant ſigna, & idem poſt mortem tantum ſectione deprehenditur.

§. X.

Celeberrimus Romanus Medicus, IO. MARIA LANCISIVS in *erudito de mortibus ſubitaneis Tractatu in Scholio obſeru. V. §. 2. p. 159. ſeqq.* edit. Geneuenſ. de ſignis aneuryſmatum praecordiorum, apud aegros, erodentibus ichoribus refertos, reperibilium, ita diſſerit: *Id vero crebranos experientia edocuit, aneuryſmata praecordiorum apud aegros tales plerumque incipere ab vniuerſali quadam arteriarum affectione, quae poſtremo in corde aut ſummis vaſis determinatur. Quo fit, vt primum de vaga, atque huc illuc per collum & artus errante arteriarum palpitatione conquerantur. Deinde intra pectus malum ſiſtitur, ſaepe tuſſis vrget, cor ſalit & grauius pulſat, mox ſepultus ac breui fugitiuus corripit dolor, qui poſtea pertinacius haeret; & modo ad alteram ſcapulam clauiculamue, modo per brachium, quandoque vsque ad cubitum propagatur. Tandem profunda perſentitur pulſatio; eleuantur alicubi coſtae, aut ſternum; caeteraque ſuccreſcunt grauia, & prorſus miſeranda atrocis huius mali phaenomena, quae vtplurimum ſubita morte finiuntur.*

§. XI.

Circa haec de aneuryſmate interno prolata ſigna tamen monendum occurrit, quod, iuxta obſeruatio-

uationes B. WEDELII, in *Differt. de aneuryſmate*, habita 1699. p. 19. propoſitas, *non omnis pulſus locis inſolitis eueniens aneuryſma notet, ſed ſaepe ſolum obſtructionem*, intellige vel partialem vel temporariam. *Sic*, ſcribit, *pulſationem in epigaſtrio notauimus in viro & foemina; in hypogaſtrio, in hypochondrio ſiniſtro idem occurrit citra aneuryſmatis characterem, niſi alia indicia accedant plura*, puta in ſuperioribus recenſita.

§. XII.

Signa aneuryſmatis ſpurii patent maximam partem e deſcriptione eiusdem, exhibita §. 5. Iisdem vero addendum eſt, quod in hoc aneuryſmate cutis admodum ſaepe ſit liuore notabili perfuſa, propter ſanguinem, vel in interſtitiis muſculorum, vel ſub integumentis communibus, & maxime immediate ſub cute congeſtum, ac per hanc, attenuatam inprimis, tranſparentem. Et quoniam latex hic alueo ſuo naturali egreſſus nec ſatis viuide commotus in thrombum & maſſam fibroſo-parenchymaticam ſaepe abit, ideo tumor hic frequenter admodum durus obſeruatur, & tactui vix cedens, magis tamen planiformis ſaepiuſcule, nec adeo eleuatus. Simul etiam ob tegmen tale altum pulſus in tali aneuryſmate vel obſcurus ſaltem notatur, vel plane nullus aliquando. Solent etiam haec aneuryſmata, ſi maiora, uti ſaepe talia fiunt, comitari dolor grauatiuus, tenſiuus, & interdum acutus ac rodens, nec non impedimentum motus in parte affecta. Eo certiores vero ſumus de praeſentia aneuryſmatis talis, ſi recordemur cauſarum laedentium praegreſſarum externarum,

e. gr. male adminiſtratae venae ſectionis & ſimul inciſae arteriae, vel alia occaſione facti arteriae vulneris, contuſionis validae in loco, vbi arteria repit; quas, vel ſimiles laeſiones mox tumor pulſans excepit, qui tandem dictis phaenomenis moleſtus & infenſus redditus fuit. Poſſunt tamen a cauſis internis quoque, citra laeſiones externas praegreſſas, omnis generis aneuryſmata oriri, ſicut ſuo loco dicemus.

§. XIII.

Dum vero in §. antecedente diximus, quod cutis, vbi aneuryſma ſpurium haeret, non raro liuida appareat, minime putandum eſt, quod tale aneuryſma cum ἐκχυμώσει, vexatione ſeu ſugillatione, vnum idemque ſit. Nam aneuryſma ſpurium innuit tumorem magis minusue fornicatum, nec aequaliter diffuſum, manifeſtam arteriae cuiusdam ſolutam vnitatem excipientem. Vexatio vero citra notabiliorem tumorem in partibus ſaepe adeſt, & vel ſanguinem in poris partium plenarie aliquando ſubſiſtentem, ſi nempe eadem grauiſſima fuerit, vel admodum tarde mobilem pro cauſa agnoſcit, frequentiſſime citra omnem rami arterioſi, paulo maioris, ſolutam vnitatem coniunctam. Per dicta vero ἐκχύμωσις cum aneuryſmate ſpurio eſt non raro coniuncta, hocque periculoſius reddit.

§. XIV.

De aneuryſmate anomalo, ſeu compoſito nobis ſupra dicto, hic illic latitante, ſuſpicari poteſt medicus, ſi praegreſſa fuerint ſigna aneuryſmatis veri, ma-

xime

xime interni, cum pulſu manifeſto; hic vero poſt longum temporis lapſum tandem ceſſet, adſintque ſymptomata, de acrimonia congeſti ſanguinis & tranſſudantis ſeri ichoroſi teſtantia, vt dolor grauatiuus & diſtendens cum rodente & acuto coniunctus, ſigna cariei oſſium vicinorum, vel coniuncti quoque ſcorbuti.

§. XV.

Ex huc vsque dictis abunde patet, quod *aneuryſmatum verorum ſubiectum* principale ſint arteriæ, ſiue in partibus haereant internis, ſiue externis: hae enim praeter morem in certo loco inaequaliter dilatatae conſtituunt tumorem, qui aneuryſma dicitur. *Subiectum* vero *ſecundarium & inadaequatum* praebent etiam partes arteriis incumbentes & accumbentes, frequentiſſime molles, vt muſculi, venae ipſae; pinguedo atque cutis: hae enim diu reſiſtere neſcientes pulſanti ac prementi tumori ſenſim ſenſimque cedunt, & ſic ſimul inaequaliter attolluntur. In aneuryſmatibus anomalis, ſeu compoſitis nobis dictis, aliquando ipſa oſſa vicina ſubiectum inadaequatum conſtituunt vna cum aliis partibus, quatenus nempe carie affici, vel e locis ſuis dimoueri ſolent, ſicut inter alia aſſertionem noſtram confirmant §. 5. allegatae *obſeruationes Ruyſchianae*. In aneuryſmatibus denique pure ſpuriis ceu ſubiectum ipſius affectus allegare fas eſt partes, arteriis vulneratis incumbentes allegatas; hae enim cauſam tumoris proximam, ſanguinem nempe extrauaſatum, excipientes, tumorem ſuſtinent. Ipſae vero arteriae in vnitate laeſae vna cum ſanguine prorumpente ſunt

ſubiectum magis cauſae morbificaé, quam ipſius morbi, ſi rem philoſophice enunciare velimus.

§. XVI.

Vt vero naturam & cauſas aneuryſmatum eo melius ſibi animo concipere queant artis ſalutaris tyrones; ex Anatomicis & Phyſiologicis hic recenſere par eſt, eſſe arterias vaſa conica, quorum baſis eſt in ventriculis cordis, pulſantia, ſanguinemque ex hoc ad omnes corporis partes deferentia. A plerisque vero fere recentiſſimis Anatomicis arteriarum trunci & rami maiores e quatuor tunicis conflati ſtatuuntur. Prima & exterior, vaſculoſa ac veſicularis WILLISIO dicta, nihil aliud eſſe videtur, quam reticulum quoddam e vaſis ſanguiferis innumeris inter ſe, cumque propaginibus & fibris nerueis varie complicatis, effectum. Secunda tunica a RVYSCHIO primum inuenta & deſcripta audit ipſi celluloſa, atque ad naturam membranae iſtius celluloſae, panniculum adipoſum, per totum corpus diffuſum, conſtituentis, accedere videtur. Excipit etiam haec tunica in arteriis cordi vicinis, ex arteriolis ſuperioris tunicae, ſuccum quendam pinguedinoſum, ſicut e ſapore ipſius patet, dum deguſtatur. Tertia tunica WILLISIO glanduloſa nuncupata, propterea, quod numeroſiſſimis glandulis, albicantibus ac perexiguis, ſibi inſertis, tota quaſi conflata cernitur. Quarta tunica muſcularis denominatur, quia e duplici fibrarum muſcularium, circularium ſcilicet, ſeu potius ſpiralium, & longitudinalium ſtrato, cum tendineis ac nerueis ſuis expanſionibus, interius obſeruabilibus, tota

con-

conſtat. Hac membrana, iuxta plerorumque autorum ſententiam, totus arteriarum motus perficitur: ſiquidem ſpirales fibrae eam comprimunt ac coarctant, longitudinales vero elevant ac dilatant, non abſimili ratione, quam videmus per congeneres fibras motum conſtrictionis & dilatationis, periſtalticum vulgo dictum, in inteſtinis peragi. Huic muſculoſae, iuxta mentem WILLISII, ſubiecta eſt tunica neruea, quae vero intime ipſi muſculoſae immixta eſt, vt ideo non opus ſit iſtam pro peculiari tunica habere, ſed pro interiori lamella huius, nempe tendinoſa iam deſcripta. Imo ipſe WILLISIVS nobis non valde contrarius eſt, ſed idem fere ſtatuere videtur, dum ſcribit: *Tunica intima neruea, quae forſan aliquatenus muſculoſa eſt, fibris rectis ſiue longitudinalibus conſtans, quae contractae arteriae tubum abbreuiari faciunt.* vid. WILLISIVS *Pharmac. Rational. Part. II. C. I.* & *Mangeti Theatr. Anat. lib. I. c. 8. p. 192. ſeqq.* Sed linquimus ſubtilem diuiſionem arteriarum maiorum in varias tunicas curioſitati Anatomicorum, & pro noſtro ſcopo tantum monemus, quod arteriae habeant inſignem elaterem, & quidem ratione tunicae muſculoſo-tendineae maxime. Quando enim ſanguis per cordis ſyſtolen maxima vi ex huius ventriculis in arterias propellitur, hae diſtenduntur; mox vero, ceſſante ſanguinis impulſu, tempore cordis diaſtoles, arteriarum tunicae, antea diſtentae, reſiliunt, ſicque arteriae ipſae anguſtiores fiunt. Quo praeſuppoſito, iudicatu facile eſt, quod arteriae a ſanguine fortiter impulſo promte & inaequaliter diſtendi queant,

ant, ſi vel interiores vel exteriores tunicae, ſiue lamellae, fuerint in hoc vel iſto loco in continuitate laeſae, cum earum vis ſeſe contrahendi & ſanguini impulſo renitendi multum debilitetur; ſicut mox e ſubſequente doctrina de aneuryſmatum cauſis clariſſime patebit.

§. XVII.

Locus morbi noſtri in arteriis & circa easdem admodum varius eſt. Modo enim, adſerente § 7. aneuryſmata occupant arterias in cauitatibus contentas, modo in artubus & partibus externis repentes. Sic aneuryſmata tum vera, tum anomala ſeu compoſita, admodum frequenter enata leguntur in arteria magna, & pulmonali circa cor, ſicut obſeruationes teſtantur, a PARAEO *l. 6. c. 28.* OTTONE HEVRNIO, *Hiſtor. 27.* RVTSCHIO, LANCISIO l. c. aliisque, recenſitae. ADOLFFVS OCCO *apud* SCHENCKIVM *l. 5. obſ. 5. p. 711.* notabile aneuryſma in dorſo obſeruauit circa ſpinam, ſiue vertebras, in Patricio Leonhardo Velſero, ex ſaltu & concuſſione equi ferocientis enatum, quod poſt mortem in ipſo arteriae aortae trunco tumorem praegrandem exhibuit. In capite, circa mentum, in faucibus, axillis, inguinibus, abdomine, hypochondrioque ſiniſtro, aneuryſmata variis occaſionibus enata leguntur apud SEVERINVM *lib. de abſceſſibus* & FALLOPIVM *Tract. de tumoribus c. 14.* In artubus vero admodum frequenter contingere ſolent, & quidem ſaepius ſpuria dicta.

§. XVIII.

Expoſito ſubiecto aneuryſmatum ducimur nunc

ad

ad expoſitionem cauſarum eorum. E definitione vero aneuryſmatis ſupra exhibita patet, quod *cauſa* omnis aneuryſmatis *proxima*, & quidem hoc loco continens, ſit ſanguinis arterioſi inaequalis collectio vel in arteria, vel circa eandem, tanquam in ſinu. Poſita enim tali collectione conſurgit tumor vel arteriæ ipſius, vel circa eandem; iſta vero ita ablata, ut redire nequeat, ipſe etiam tumor talis redire non poteſt, ſed perfecte ceſſat.

§. XIX.

Cauſam vero mediatam proximiorem aneuryſmatum, & quidem verorum, accuſamus *arteriae cuiusdam ſaltem localem dilatationem*, citra omnium ipſius tunicarum ſolutam unitatem, vel aliquando plane nullam: hac enim ratione ſanguis in arteria ipſa dilatata localiter colligitur, & tumor efformatur. Nam licet vna vel altera ſaltem arteriae tunica ſit laeſa: attamen ſanguis non ſtatim nec facile exundare, & ſub partibus incumbentibus colligi poteſt, ſed diſtendit tantum, & ordinarie, ſenſim ſenſimque tunicas, quae integrae remanſere: hae vero facile cedunt, quia robore vnius alteriusue tunicae inciſae, ſibi antea ſociae, ſunt deſtitutae. Cauſa vero aneuryſmatum ſpuriorum mediata proximior eſt frequentisſime arteriarum διαίρεσις ſeu ſoluta vnitas, eaque plenaria, certo in loco facta, vt ita ſanguinis arterioſi maior vel minor quantitas exeat, ſub integumentis communibus colligatur, & tumorem pariat. Hoc poſterius enim ſi non fiat, non debet dici aneuryſma, ſed vulnus arteriae ſimplex. Equidem obiiciunt quidam contra hanc aneuryſmatum ſpuriorum cauſam, ſeu collectionem ſanguinis arterioſi ſub integumentis corporis, quod haec ideo locum habere nequeat: quia ſanguis vaſis ſuis egreſſus mox coaguletur & corrumpatur, innixi *ſect. 6. aphor. 20. Si in cauitatem vel ventrem ſanguis praeter naturam effuſus fuerit, is ſuppuretur neceſſe eſt.* Sed breuiter ad hanc obiectionem regeri poteſt, quod poſterius neceſſario contingat, ſi ſanguis

omni motu priuetur. In aneuryſmate vero tali, ob ſanguinem ex arteria continuo appellentem, adeſt in ſinu iſtius motus quidam vndulatorius ſuperſtes; portio vero ipſius ſaepe in maſſam polypoſam vel carnoſo-ſpongioſam abit. Non adeo infrequenter tamen ſanguis ex arteria effuſus, & in ſinu aneuryſmatis ſpurii collectus corrumpitur, putreſcit, ſphacelumque infert, ſi nempe ςάσιν plenariam conceperit, & in ſe vitioſus potisſimum fuerit.

§. XX.

Laeſiones recenſitae proximius aneuryſmata inferentes fiunt vel a cauſis externis, vel internis. Illae frequentiores ſunt his, tam in producendis aneuryſmatibus veris, quam ſpuriis. Sic fiunt aneuryſmata vera externa admodum frequenter, quando in ſectione venae ſimul tunica exterior vna ſeu altera arteriae ſubiacentis fuit inciſa, ſalua manente interna, & cura debita neglecta. Item ſi omnes arteriae tunicae fuerint inciſae vel in hoc caſu, vel arteriotomia, & iuxta quorundam autorum mentem interior tunica breui conſolidetur, exterioribus tunicis apertis manentibus, id quod tamen propter difficilem conſolidationem tunicae interioris, ceu tendinoſae, rarius fieri credimus. Tali enim caſu exiſtente, tunica interior ſanguini appellenti non ſatis reſiſtere poteſt, ſed relaxatur, diſtenditur ac per vaſculum reliquum protuberat. Longe frequentius vero aneuryſmata vera & tunc oriri nobis perſuaſum habemus, ſi poſt arteriam penitus inciſam, tunicae externae conſolidentur, patula manente interna. Sic enim protuberantia ſub exterioribus tunicis naſcitur. Qua denique ratione aneuryſma ſpurium occaſione inciſionum arteriarum conſurgat e §. antecedente ſatis perſpicue patet, colligique poteſt.

§. XXI.

E cauſis internis aliquando polypi, hinc inde in arteriis ob ſanguinem craſſum & viſcoſum enati, maxime circa cor, aneuryſmata vera producere ſolent. Nam iſti non ſolum mole ſua

le ſua arterias diſtendunt, ſed & libero motui ſanguinis, e ventriculis cordis in arterias cum impetu eiecti, viam magna ex parte praecludunt: quare latex hic vitalis in parietes arteriarum agit, & tot repetitis pulſationibus has ſenſim dilatat, ſibique ſaccum format. Poſſunt & ſolent vero polypi, aneuryſmatibus iam ab aliis cauſis formatis, enaſci quoque, & tunc tanquam effectus eorum conſiderari debent.

§. XXII.

Porro tunc quoque aneuryſmata oboriri ſolent, quando a maſſa ſanguinea acriori, variis de cauſis in huius vel iſtius arteriae certo loco tardius mota, tunica interior ſenſim roditur ac exeditur, qua, ceu firmiori repagulo, remota, tunicae incumbentes ſenſim ſenſimque per iugem ſanguinis pulſum ita localiter attenuantur ac diſtenduntur, vt tumor ſacciformis, vno verbo aneuryſma, ibidem conſurgat. Veriſimile enim eſt, quod acres humores hinc inde in arteriis irritationem & ſpaſmum inferant, qui, ſi in vaſis cordi proximioribus fiat, palpitationem maxime inducit: poſtea tales humores arteriarum exeſionem & diloricationem inchoant, in qua veram aneuryſmatum (puta certae ſpeciei) naturam conſiſtere putat illuſtris LANCISIVS l. c. *in ſcholio §. 3.* qui ſane autor de hac materia euolui legique meretur. Faciunt etiam ad dictae cauſae illuſtrationem maxime ea, quae e laudato autore §. 10. iam allegauimus. Atque haec ipſa cauſa parit aneuryſmata anomala ſiue compoſita nobis dicta, iam §. 5. deſcripta. Non ſolum enim dilatat localiter arteriarum tunicas, ſed & ſimul eas ex parte ſoluendo ſquamoſo - ſpongioſas reddit, vt ſerum acre & ichoroſum transſudet & partes adiacentes, tum molles, tum duras, ſucceſſiue arrodat atque corrumpat. Non impoſſibile tamen iudicamus, humores acres, aliquando in hoc, vel iſto arteriae loco collectos, plenariam διαίρεσιν arteriarum tunicarum efficere, & ideo aneuryſmata, ſimpliciter ſpuria dicta, producere.

§. XXIII.

In cenſu igitur cauſarum aneuryſmatum merito quoque ponenda eſt διαπήδησις praeternaturalis, i. e. transſudatio humorum per poros tunicarum, ſumme attenuatarum, in arteriis quoque maioribus. Nam διαπήδησις naturalis, quae in arteriarum ac venarum tenerrimis, extremis ac poroſis ramulis fit, huius loci non eſt. Non ſolum vero διαπηδήσει ſerum, idque maxime acre ac findens, dicta ratione tranſit, & aneuryſmata compoſita ſeu monſtroſa parit, ſed & aliquando ſanguis ipſe ita percolatur: id quod in ramis non adeo magnis, ceu poroſioribus, facilius & frequentius fieri credimus. Teſtatur hoc ipſum celeberrimus B. WEDELIVS *Diſſertat. laudatae p. 13.* his verbis: *Vidimus in carpo a vulnere laterali exortum aneuryſma ſemel iterumque per talem διαπήδησιν profudiſſe ſanguinem.*

§. XXIV.

His praemiſſis iudicatu facile eſt, quod omnia ea in numero cauſarum aneuryſmatum mediatarum ſint habenda, quae ad arteriarum vel dilatationem, vel ſolutam vnitatem inferendam proximius vel remotius concurrunt. Sic, per dicta, frequenter admodum huc ſpectant arteriarum vulnera quaeuis, inprimis punctim facta, non rite per compresſionem tractata; earum contuſiones a variis obiectis factae, nec non tenſiones, quales fiunt in niſu circa ſubleuanda pondera, in laboribus partus, clamoribus fortioribus, & maxime circa vomitionem. Sic a vomitorio antimoniato, procul dubio minus prouide exhibito, geminum aneuryſma in pectore protuberaſſe conſignauit RHODIVS *cent. 2. obſ. 36.* Motus item qui concuſſu & tenſione ſimul fit, vt in equitatione vehementi contingit. E cauſis praeternaturalibus huc referri debent plethora, maxime concurrentibus motibus animi & corporis fortioribus, polypi in corde, & hinc inde in arteriis maioribus, ſcor-

ſcorbutus, affectus hypochondriacus, menſium & haemorrhoidum obſtructio, aſthma, lues venerea, palpitatio cordis, necnon calculi atque vermes in corde reperti. In his enim affectibus omnibus vel ſanguis craſſus ac viſcoſus, vel ſimul acris peccat, vel cauſa diſtenſionem arteriarum inaequalem facile inferens. Confirmant etiam optimorum autorum obſeruationes, quod non raro in his morbis laborantibus, ac poſtea iis defunctis, aneuryſmata interna fuerint orta ac reperta. Atque cauſae tam dictae, quam adhuc dicendae, eo facilius vim ſuam exerere ſolent in ſubiectis rarioris texturae, & in quibus reperibilis debilitas arteriarum, vel natiua, vel adſcititia praegreſſa. Ex eſculentis ad aneuryſmata tam producenda quam augenda faciunt cibi ſalſi, acres, acidi, groſſiores ac viſcidi, ceu qui generando ſanguini tali maxime fauent. Ebrietas quoque, inprimis vinoſa, in corporibus ad aneuryſmata diſpoſitis, eadem facilius parit, ſauguinem impetuoſius commouendo, & ſic arterias facile in certo loco dilatando, vbi nempe reperibilis quaedam remora in iis, vel debilitas earum adfuerit. Id quod etiam de motibus animi & corporis nimiis ex eadem ratione dicendum venit. Aliquando etiam homines aneuryſmata interna ſecum gerentes ob motus tales nimios eorum ruptionem experiuntur ſubitam, & improuiſae ſuccumbunt morti. Porro ad generationem aneuryſmatum multum conferre poteſt vita ſedentaria, ſitusque incuruus, qualis adeſt in ſutoribus, ſartoribus & aliis opificibus quibusdam, nec non literatis quandoque, ſi ſanguis acrior in iisdem peccet inprimis. In tali enim ſitu arteria magna & vena caua nimis anguſtantur, quam humani corporis ferat conſtitutio, adeoque ſanguis acrior ſi ſit, moras in his vaſis quodammodo nectendo, ſenſim parit eroſionem ichoroſam, & hanc conſequentem dilatationem, annotante LANCISIO *l. c. §. 4. p. 161. Raro enim*, ſcribit hic autor, *qui ſeſſilem incurvamque ducunt vitam, ſi vitioſis redundent ſuccis, absque inſigni aliqua pulmonum, cordis, aut magnorum vaſorum labe conſeneſcunt.* Quod denique attinet aerem, hic ſi plus

juſto calidior ſit, ſanguinem rarefaciendo, ad aneuryſmatis generationem in jam diſpoſitis quidpiam conferre poteſt: quemadmodum frigidior, ſanguinem condenſando, in iisdem ſubiectis facile noxius fieri ſolet.

§. XXV.

Poſt cauſarum expoſitionem, aneuryſmatum prognoſis nobis proponenda eſt. Debet vero iuxta hanc in genere *aneuryſma* grauior pronunciari affectus: quia facile incrementum capit, niſi obuiam eidem eatur, vel ipſi mederi liceat, adeo quidem, vt rumpatur, ſanguinemque, ceu liquorem vitalem, in maxima copia cum vitae periculo, & aliquando interitu, profundat. Minime tamen aneuryſma morbus abſolute incurabilis, vel plane lethalis dicendus eſt; ſed variat prognoſis, ratione ſalutis & mortis, notabiliter pro differentia ipſius. Sic aneuryſma verum in artubus, recens, paruum, non dolorificum, in ramis arteriarum paulo minoribus vbi commodae deligationi aliisque praeſidiis externis datur locus, non raro perfecte curatur. Contra aneuryſma verum, haerens in arteriis maioribus, ut in carotidibus, ſubclauiis, vel axillaribus, prope humerum; aut cruralibus, non procul ab abdomine remotis, inprimis ſi maius ſit, periculoſiſſimum & vix curabile eſt, quia praeſidia conuenientia non rite applicari hiſce in locis queunt. Adeoque eo magis plane incurabilia pronuncianda ſunt *aneuryſmata interna*, cum nulla cura chirurgica adaequata in iisdem locum inueniat, pharmaceutica vero iis nullo modo ſufficiat. Accerſunt eadem mortem ſubitam, quando vel ſua ſponte rumpuntur, vel occaſione corporis aut animi motus fortioris, aliarumque rerum non naturalium. Nectare enim vitali in maxima copia in cauitatem quandam corporis profuſo, mox actum eſt de vita. Abeunt etiam aneuryſmata vera interna non raro, ſucceſſu temporis, in hominibus, cacochymia ſalſa laborantibus, in aneuryſmata anomala ſeu compoſita, in quibus tunicae arteriarum in lamellas diſpoſitae cum inhaerentibus

humo-

humoribus acribus, ipſaque oſſa vicina, ab iis transſudantibus exeſa obſeruantur. Circa talia vero aneuryſmata conſummata oriuntur febres hecticae, animi deliquia, ſpiritus difficultas, ſi in pectore haereant, aliaque peſſima ſymptomata, quae tandem miſere afflictum hominem extinguunt. Quod aneuryſmata ſpuria, ſeu cum plenaria ſoluta vnitate arteriarum & effuſione ſanguinis coniuncta, attinet, ea periculoſiora ſunt aneuryſmatibus veris, pure talibus, nec ſimul internis. Admodum difficile enim eſt, ſanguinem extra vas ſuum delatum, ſaepeque coagulatum ac fibroſum redditum, commode eximere, vehementem effluxum ſanguinis ex arteria laeſa reprimere, huicque conſolidationem debitam inducere. Et haec quidem omnia eo difficilius fiunt, ſi arteria laeſa ſit maior. Praeterea etiam in his aneuryſmatibus ſanguis alueo ſuo egreſſus & ſub atque in integumentis communibus, vel alibi locorum, haerens, aliquando plenarie ſtagnat, corrumpitur ac putreſcit, ſicque inflammatione, gangraena atque ſphacelo partes affectas facile afficit, obſeruationibus id ſatis confirmantibus. Dicta vero ſanguinis corruptio eo facilius contingit, quo maior eiusdem congeſtio, &, ſi ἐκχήμωσις notabilis coniuncta, ipſeq; ſanguis in ſe vitioſus fuerit; accedente maxime tractatione partis affectae inconcinna per compreſſionem nimiam, aut praegreſſa eiusdem contuſione vehementi; ceu quæ duo ſola etiam ad ſphacelum inferendum apta ſunt. De tempore euentus aneuryſmatum nihil certi affirmari poteſt, variat enim iſtud mirum quantum pro gradu laeſionis, ita, vt hoc reſpectu alia *aneuryſmata ſint acuta*, alia *chronica*. Sic aliquando a niſu & commotione admodum forti corporis adeo magnum ſubito oritur aneuryſma internum, vt tunicæ ſumme attenuatae vaſis arterioſi, breui, leuiori accedente cauſa occaſionali, rumpantur, ſicque ſyncope lethalis ſequatur. Breui etiam tendunt ad mortem aneuryſmata ſpuria, quibus cito ſuperuenit ſphacelus incurabilis. Nihilominus etiam aneuryſmata, inprimis minora, tam interna, quam externa, in quibusdam ſubiectis ad ſatis longinquum tempus, imo vnum alterumue

annum

annum geſtantur; atque hoc tunc maxime fieri poteſt & ſolet, quando arteriae dilatatae tunica interna oſſea fuit reddita, & ſic magis contra diſruptionem firmata, id quod PARAEVS, FALLOPIVS, aliique annotarunt. Aneuryſma vero maxime productum fuit, quod obſeruauit SENNERTVS *prax. lib. 5. part. 1. cap. 43.* in foemina, quae vltra trigeſimum annum aneuryſma nucis juglandis magnitudine in cubiti flexura interna habuit, ab arteria loco venae aperta, alias ſatis bene viuens. Aſt tales caſus rarisſimi ſunt. Ordinarie enim aneuryſmata ſaltem ad ſalutem tendunt, quando ipſis cura debita, ſolicita ac ſatis ſaepe longinqua adhiberi ſolet & poteſt.

§. XXVI.

Aneuryſmatum theoria breuiter propoſita, METHODVS iisdem MEDENDI, quantum in artis poteſtate eſt poſitum, nunc eſt tradenda. Iuxta iſtam vero INDICATIO CVRATORIA praecipit, tumorem arteriae, vel circa eandem ortum, atque hucusque deſcriptum, quo citius, eo melius auferre; qui finis per ſatisfactionem INDICATIONIS PRAESERVATORIAE obtinetur. Nam haec injungit arterias dilatatas comprimere & anguſtiores reddere, in vnitate laeſas conſolidare, ſanguinem congeſtum in alueum ſuum propellere, congrumatum vero & ad corruptionem tendentem auferre, omnesque cauſas aneuryſmata fouentes ſolicite corrigere ac remouere. Vt autem cura tuto fiat, INDICATIO VITALIS prudenter ſuadet: haec enim de ſymptomatibus vrgentibus depellendis ſolicita eſt, nempe de moderanda haemorrhagia circa operationem chirurgicam & alias; doloribus minuendis, ſugillationibus grauioribus diſcutiendis, & maxime gangraena tum praeſeruanda, tum curanda aliquando, viribusque debilibus refocillandis. Quibus igitur indicationibus e tribus fontibus vſitatis, nempe chirurgico, pharmaceutico & diaetetico ſuccurrere debet medicus. Cum vero, per nota, aneuryſmata ſint diuerſae ſpeciei, & ea, in quibus cura ſalutaris locum habet, maximum fere iuuamen e chirurgia expectent: ideo iuxta diuerſas huius morbi ſpecies curam

ram chirurgicam potiſſimum trademus, pharmaceuticam & diaeteticam breuiter ac ſimul indicaturi.

§. XXVII.

Aneuryſmata vera externa, recentia atque minora, e. g. in flexura cubiti, carpo, aliisque locis, ubi acceſſus patet, & deligationi locus eſt, optime curantur per compreſſionem & faſciationem commodam vel ſimplicem, vel iunctis emplaſtris adſtringentibus, & interpolatis diſcutientibus ac reſolventibus, vt diaphoretico Mynſichti, vel de minio, largiter camphoratis. Sic poteſt applicari empl. contra rupturam, vel aliud roborans; ei vero lamina plumbea, linteo tenui obvoluta, ita imponenda ac firmanda eſt, vt continuo arteriam dilatatam moderate comprimat. Ad ejusmodi compreſſionem praeſtandam peculiaria etiam inſtrumenta inuenta atque excogitata ſunt, quorum figurae depictae exhibentur in *celeberrimi* HEISTERI *Chirurgia, Tab. VII. fig. 8. & 9.* Moderata tamen ſemper debet eſſe compreſſio arteriae, membrique affecti, ne eadem nimis valida gangraenam inferat, ſicut hoc ipſum non raro factum eſſe legimus. Porro probe circa curam, per compreſſionem adornandam, notandum eſt, quod, licet arteriae tumor diſparuerit, iſta tamen ad plurium menſium ſpatium continuanda ſit, donec tam arteriae, quam partibus ſuperpoſitis, debita redierit denſitas; & ſic omnis recidiuae metus ceſſet. Ad cujus curae felicem finem obtinendum multum etiam confert, ſi aeger ſit plethoricus, adminiſtrata venae ſectio largior, & quidem revulſoria in pede, ſi aneuryſma ſit in brachio; vel in hoc, ſi aneuryſma haereat in pede, ut hac ratione diſtenſio validior arteriae impediatur.

§. XXVIII.

Si vero aneuryſma verum maius ſit, quam vt eidem per faſciationem & applicationem inſtrumentorum comprimentium mederi liceat, iſtudque doloribus vehementibus ſtipatum ſit, & immobilitatem brachio vel pedi inferat, aut

corruptionem putredinoſam minetur, aut plane adſit metus, ne disrumpatur, & aegrotum in haemorhagiam lethalem praecipitet, tunc operatio, ſiue ablatio tumoris per inciſionem, inſtituenda eſt. Cum vero dicta operatio iuxta effatum RVYSCHII, HEISTERI, aliorumque optimorum medicorum & chirurgorum, periculi ac tædii pleniſſima ſit: ideo chirurgus operationem ſuſcepturus prudenter agit, ſi, circa ipſius adminiſtrationem, vnius alteriusue celebris medici & chirurgi conſilium & auxilium imploret.

§. XXIX.

Ante operationem ſuſcipiendam, ſi eadem aliquot dierum moram ferat, e medici partibus eſt, corpus aegroti rite praeparare, ne operationem facile excipiant inflammationes, commotiones febriles, atque ſpaſmi. In hunc finem ſalutariter praecipit Cl. IVNCKERVS *Tabb. Chirurg. XIII. p. 157.* impuritates primarum viarum per blandum laxans evacuare, ſanguiniſque abundantiam, ſi praeſens, per venae ſectionem imminuere, humorum vero acriorum vitium per temperantia & antimonialia fixa corrigere.

§. XXX.

Ratione operationis ipſius, modus eam adminiſtrandi paulo diuerſus eſt. Communiſſimus vero fere huc vſque fuit, rite conſtricto in loco ſupra aneuryſma inſtrumento, *tourniquet* dicto, cutim & integumenta communia ſupra aneuryſma incidere, totumque huius tumorem mediante maiore lanceola aperire, & ſanguinem in illo contentum euacuare, imo congrumatum, ope digitorum vel ſpongiæ, eximere. Quo facto inſtrumentum compreſſorium *tourniquet* a chirurgi miniſtro paululum relaxatur, & detecta per ſanguinis ſaltum arteriae apertura vel ſtatim conſtringitur dicto inſtrumento, vel in plethorico ſtatu aliquot ſanguinis vnciae ante ſtricturam emittuntur, niſi iam per venae ſectionem praegreſſam ſanguinis copia imminuta fuerit. Deinde cauitati arteriae & vulneri medicamenta ſtyptica appli-

plicantur, omniaque compreſſione debita, per monetam, ſplenia & faſcias lege artis adornanda, muniuntur. Arteriae nempe aperturae & vulneri commode induntur charta maſticata firmiter compreſſa, & liquore ſtyptico Dippelii imbuta, nec non lintea concerpta, puluere ſtyptico conſperſa, vel fungus chirurgorum. Vt autem compreſſio arteriae eo accuratius fiat, ſalutare eſt, eandem digitis ad aliquot horarum ſpatium praeſtare, & deligationem completam poſtea demum inſtituere. Quae, quod rite facta ſit, judicari poteſt, ſi, inſtrumento compreſſorio non nihil relaxato, nullus ex arteria egrediatur ſanguis, ſpleniaque ac faſcias tingat. Nihilo minus, licet haec ita ſe habeant, *Excell.* HEISTERVS *in Chirurgia ſua p. m. 374.* & DIONISIVS ſuadent, ad ductum & longitudinem arteriae brachialis, ſplenium longum & anguſtum applicare & ope faſciae concinne firmare, quo eo magis de metu haemorrhagiae ſecuri eſſe queamus. Sin vero & hac ratione haemorrhagia cohiberi nequeat, membrum affectum denuo ope tourniquet conſtringendum eſt, &, tota deligatione ſoluta, arteria denudata ſupra locum aperturae, ope acus curuae, robuſtum ducentis filum, valide coarctanda eſt, hac tamen cum cautela, vt neruus circa arteriam ſerpens prouide ab hac ſeparetur, nec ſimul cum arteria conſtringatur. Secus ſi fiat, vel conuulſiones, vel membri affecti paralyſis, preſſo ſequuntur pede. Arteria vero conſtricta, infra ligaturam tranſuerſim ac prouide diſcindenda eſt: hoc enim facto illius extremitates carnes ſubeunt, coaleſcunt, & vlterioris haemorrhagiae metum hac ratione excutiunt.

§. XXXI.

Quoniam igitur admodum ſaepe difficile eſt per ſolam applicationem medicamentorum ſtypticorum, & compreſſionem arteriarum maiorum, e.g. brachialis in flexura cubiti, aneuryſmatibus magnis mederi: ideo quidam chirurgi aneuryſmata tollendi paulo alium tradunt modum, qui ſecundus dici poteſt. Praecipiunt nempe poſt legitimam applicationem tourni-

niquet, ceu cui inſtrumento ſemper circa hanc operationem hodie locus dari debet, cutim mox ſolam incidere, arteriam affectam, ſupra & infra aneuryſma, inveſtigare, eam a neruo adiacente, vtroque in loco, ſolicite ſeparare, hamulo attollere, atque ſupra & infra aneuryſma, ope acus incuruae & fili firmioris, arcte conſtringere, poſteaque aneuryſma inter duas ligaturas haerens exſcindere. Vulneri relicto tam diu proſpicitur medicamento digeſtiuo, donec fila ſua ſponte ſeparentur; eiusdem vero conſolidatio vnguento vel balſamo traumatico bonae notae promouetur. Atque circa hunc aneuryſmatibus medendi modum legi merentur RVYSCHII *Obſeruat. Anatomico-chirurg. II.* & PVRMANNI *Chirurg. Curioſ. p. 612.* Qui prior autor etiam curioſe annotauit, quod arteriarum laeſarum extremitates, exiguo fruſto corii munitae, fuerint ligatae, ad earum diſciſſionem vitandam.

§. XXXII.

Tertius modus, qui quibusdam arridet, eſt, quando, applicato l. a. tourniquet, cutis, in ſuperiori loco tantum verſus aneuryſma, inciditur, arteriaque denudata, ac a neruo adiacente ſeparata, proxime ad tumorem filo l. a. conſtringitur; ipſum vero aneuryſma non aperitur, ſed ſanguis in eo collectus leui tantum preſſione in ramum inferiorem vrgetur, ipſumque vulnus poſtea eadem ratione tractatur, ſicut §i antecedente expoſuimus. Atque ad hanc normam MR. ANEL Romae periculoſum aneuryſma menſis ſpatio ſe curaſſe tradit in Tract. qui inſcribitur: *Suite de la nouvelle methode de guerir les fiſtules lacrimales;* ſicut locum hunc e dicto Autore allegat celeberrimus HEISTERVS *l. c. p. 377.* Aſt hic modus tunc ſaltem locum habet, quando nullus ſanguis congrumatus in aneuryſmate haeret. Hic enim ſi adſit ſtatus, illud neceſſario aperiendum, ſanguisque coagulatus eximendus eſt.

§. XXXIII.

Huc uſque expoſitus vero circa aneuryſmata vera procedendi modus non minus in *cura aneuryſmatum ſpuriorum* locum quoque habet. Nam poſt applicationem inſtrumenti compreſſorii non minus cutis incidenda, ſanguis collectus vel maſſa cujuscunque indolis enata eximenda, arteria inciſa vel ope medicamentorum adſtringentium & compreſſionis, vel ligaturae, conſolidanda, totumque vulnus l. a. occludendum eſt. Solent autem hodierna luce plurimi chirurgi circa curam vtrorumque aneuryſmatum, ligaturam arteriarum medicamentis ſtypticis praeferre, quo eo magis de haemorrhagia ſecuri eſſe queant, modo ipſis liceat iſtam ſemper praeſtare. Nam opus admodum difficile eſt, neruum ab arteria ſeparare, hancque l. a. coarctare. Quapropter in recentibus aneuryſmatibus, & adhuc paruis, cuiuscunque indolis ſint, maxime laudamus eorum compreſſionem aequalem, ac ſatis fortem, vel digitis, vel compreſſorio plumbeo, vna cum adſtringente emplaſtro, praeſtandam, & ad longinquum tempus continuandam. Atque hac ratione aneuryſma inter pollicem & indicem enatum ſe feliciter curaſſe teſtatur NICOLAVS TVLPIVS, *Obſeru. med. l. 4. cap. 17. confer. quoque* EPHEM. GERM. *Dec. 2. ann. VII. obſ. 208.*

§. XXXIV.

Quod vero cauteriſationem actualem attinet circa curam aneuryſmatum, de hac pronunciamus, quod in veris locum non habeat, quoniam nempe per iſtam facile arteria adhuc clauſa prorſus aperiri poteſt. In ſpuriis vero, ſi eadem non adeo magna & iuglandis magnitudinem excedant, ſed in partibus carnoſis maxime haereant, cor-

rugando & occludendo latera arteriae inciſae, non raro praeſentaneum auxilium attulere, ſicut felicem eorum vſum triplici experientia, eaque propria, confirmat *celeberrimus & B. noſter* G. W. WEDELIVS *in Diſſert laudata p. 25. ſeqq.* Vulnus vero & vlcus relictum poſtea defenſiuis & digeſtiuis medicamentis tractandum eſt, vt ſic eſchara ſucceſſive ſeparetur.

§. XXXV.

Nobis vero circa curam aneuryſmatum ſpuriorum temperare non poſſumus, quin egregie laudemus applicationem cum linteis concerptis *liquoris ſtyptici* DIPPELII, cuius deſcriptionem duplicem exhibuit D. D. PRAESES *in Diſſert. de amputatione artuum rite adminiſtranda.* Quo loco etiam ſaluberrimus huius liquoris vſus in vulneribus arteriarum ipſius experientia confirmatur. Accedere tamen debet compreſſio, per laminam plumbeam conuenientis craſſitiei & magnitudinis, faſciatioque concinna.

§. XXXVI.

Haec ſunt praeſidia chirurgica, quae indicationibus, curatoriae & praeſeruatoriae, circa medelam aneuryſmatum verorum & ſpuriorum maximam partem & in tantum ſatisfaciunt, in quantum in artis poteſtate eſt collocatum. Breuibus igitur nunc ſunt attingenda praeſidia reliqua, & cautelae, obſeruatu neceſſariae. Sic pro haemorrhagia, quae aliquando recrudeſcere ſolet, impedienda, deligatio ante quartum diem ſolui non debet, niſi vel tumor, vel gangraena, vel ſphacelus affectum comitentur. Imo neceſſarium eſt per octo dies noctesque vigilantiam miniſtrorum chirurgicorum commendare, quo, ſi noua prorumpat haemorrhagia, eandem tempeſtiue tourniquet reprimere queant, donec amplius ferri

queat

queat auxilium. Pro inflammatione brachii arcenda, ſi ibidem haereat aneuryſma, poſt operationem toti brachio lintea oxycrato tepido madida applicanda, & mediante faſcia firmanda ſunt; ſub minori vero hujus metu emplaſtrum defenſiuum quoque locum habet. Ipſe vero aeger in lecto ita reponendus eſt, ut brachium, parum inflexum, ſitum habeat paulo elatiorem, ad impetum ſanguinis influentis moderandum. Si ſugillatio adſit in membro affecto, fotus, e plantis diſcutientibus & neruinis cum vino parati, ſedulo in vſum vocandi; qui etiam in gangraena cum ſpiritu vini camphorato mixti conueniunt; ſicut etiam hic ſolus ſedulo applicari poteſt. Sin vero ſugillatio adſit grauiſſima, ope inciſionis cutis, ſanguis coagulatus eximendus eſt. *vid.* DIONIS *Chirurg. p. m. 695.* Sphacelo, qui aliquando malo omine coniunctus eſt, per fotus balſamicos & acres, cum vino & aceto paratos, nec non per decoctum nigrum chirurgorum, aliaque preſidia congrua tempeſtiue ac ſolicite obuiam eundum eſt, imo per ſeparationem portionis corruptae. Ante omnia vero eo debet vigilare chirurgus, quo cauitas vulneris breui carne firmiori occludatur. Hoc enim ſi fiat, laeta ſperare licet, atque tunc aegrotus brachium, ſi ibidem haeſerit aueuryſma, blande mouere debet, ne poſt plenariam conſolidationem, ſi plane immobile fuerit tempore curae, rigidum deprehendatur. In ſubiectis plethoricis, durante cura, venae ſectio ſuaderi poteſt.

§. XXXVII.

Dicendum etiam nunc nobis eſſet de remediis pharmaceuticis internis, in cura aneuryſmatum adhibendis: ſed quia chartarum anguſtia temporisque ratio nobis non permittunt prolixioribus eſſe: ideo indicare ſaltem lubet, quod medico rationali facile ſit iuxta cauſarum fouentium praeſentiam, & indicationum diuerſitatem, ea praeſcribere

&or-

& ordinare. In genere vero, & frequentisſime, acrimoniae & ebullitioni ſanguinis contraria; aliquando etiam blanda reſoluentia, cordialia ac neruina; & denique aliquando anodyna ipſa, cum prioribus mixta, conueniunt.

§. XXXVIII.

Denique ratione diaetae aneuryſmatibus affectis omnia ea ſunt vitanda, quae ſupra ſub cauſis mediatis eorum fuere recenſita. Nam quaecunque ad generandum quendam affectum morboſum quidpiam conferre poſſunt; iſta etiam eum iam praeſentem augere, eiusque curam difficiliorem reddere ſolent. In genere vero ea in diaetae regimine ſunt fugienda, quae ſanguini intemperiem acrem atque calidam, motumque vehementiorem, conciliare valent.

FINIS.